



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXVIII. De scribendis actis, vt probari possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1215.
uersarium indebita vexatione fatiget, venales ex-
ponunt. Cum autem lites restringendæ sint potius quam laxandæ, hac generali constitutione san-
cimus, vt si quis super aliqua quæstione de cete-
ro sine mandato speciali domini literas apostoli-
cas impetrare præsumperit, & literæ illæ non va-
leant, & ipse tamquam falsarius puniatur, nisi forte de illis personis extiterit, a quibus non debet exi-
gi de iure mandatum.

XXXVIII.

Quoniam contra falsam assertionem iniqui iu-
dicis innocens litigator quandoque non potest
veram negationem probare, cum negantis fa-
ctum per rerum naturam nulla sit directa proba-
tio, ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas
præualeat æquitati, statuimus vt tam in ordi-
nario iudicio quam extraordinario iudex sem-
per adhibeat aut publicam (si potest habere) per-
sonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vni-
uersa iudicij acta conscribant, videlicet citationes,
dilationes, recusationes & exceptiones, petitio-
nes & responsiones, interrogations, confessiones,
testium depositiones, instrumentorum produc-
tiones, interlocutiones, appellations, renuntiatio-
nes, conclusiones, & cetera quæ occurrunt com-
petenti ordine conscribenda, designando loca,
tempora & personas: & omnia sic conscripta par-
tibus tribuantur, ita quod originalia penes scripto-
res remaneant: vt, si super processu iudicis fuerit
suborta contentio, per hæc possit veritas declarari.
Hoc adhibito moderamine, quatenus sic honestis

Concil. Tom. 28.

B b

& discretis deferatur iudicibus , quod per impro-
uidos & iniquos innocentum iustitia non lēdatur.
Iudex autem qui constitutionem istam neglexerit
obseruare, si propter eius negligentiam aliquid dif-
ficultatis emerferit, per superiorem iudicem anim-
aduersione debita castigetur , nec pro ipsius præ-
sumatur processu , nisi quatenus in causa legitimis
constiterit documentis.

X X X I X.

Sæpe contingit quod spoliatus iniuste , per spo-
liatorem in aliud re translatā, dum aduersus posses-
sorem non subuenitur per restitutionis beneficium
spoliato, commodo possessionis amisso propter dif-
ficultatem probationis, ius proprietatis amittit ef-
fectum. Vnde non obstante ciuilis iuris rigore san-
cimus, vt si quis de cetero scienter rem talem acce-
perit, cum spoliatori quasi succedat in vitium , eo
quod non multum intersit , præsertim quoad peri-
culum animæ , detinere iniuste ac inuadere alien-
num, contra possessorem huiusmodi spoliato per
restitutionis beneficium succurratur.

X L.

Contingit interdum , quod cum actori ob con-
tumaciam partis aduersæ adjudicatur causa rei ser-
uandæ possessio, propter rei potentiam siue dolum
actor infra annum rem custodiendam nancisci
non potest, vel noctam amittit : & sic cum secun-
dum assertionem multorum verus non efficeretur
post lapsum anni possessor , reportat commodum
de malitia sua reus. Ne igitur contumax melioris,
quam obediens , conditionis existat , de canonica